

A. C. J. M.

DISSESSATIO ACADEMICA,

M A L A
LIBERTINISMI
RELIGIONUM
IN
REPUBLICA
EXPOSITURA,

Cujus PARTEM POSTERIOREM,

Consens. Ampliss. SENATUS Philos. in Illustri ad
Auram Atheneo,

PRÆSIDE

MAG. JOHANN E
B I L M A R K,

HISTOR. ET PHIL. PRACT. PROFESSORE REG. ET ORD.

Pro obtainendis summis in Philosophia honoribus,

Publicæ Bonorum censuræ modeste subjicit

ARON MOLANDER,

Wiburgensis.

In AUDITORIO MAJORI Die ~~XIV~~ Decembr.

An. MDCCCLXXIV.

H. J. M. C.

A B O Æ

Impressit JOHANNES CHRISTOPHORUS FRENCKELL.

§. VIII.

Habet Philosophia Eclectica varias prærogativas, propter quas commendari ipsa meretur. Quum enim Philosophia sit cultus rationis omnibus hominibus congenitæ, nemo in ea Dictator constituitur, nec in censem venire debet: *quis loquitur, sed quid dicitur;* & id tantum valet, quod rationum evidētia comprobatur. Servilis igitur est Philosophia sectaria, quæ ne latum quidem ungvem a Magistri opinione recedit, magisque ad obscurandum intellectum, quam ad eum illustrandum conducit. Quod licet ita sit, non tamen propterea probamus Religionem Eclectricam, quam, uti in antecedentibus ostendimus, in scenam producere conantur Libertini. Quum enim DEUS partim cordibus nostris inscriperit partim deinceps nobis revelaverit principia justi & honesti, summis suis perfectionibus convenientia, eadem in essentia & sanctitate Divina sunt fundata, adeoque ipsa sunt immutabilia, & proinde arbitrio humano nihil heic est relictum; sed uti præcepta hæc simpliciter nobis sunt exposita, ita strictim eadem observare debemus. Quam conclusionem sicut plerique forte admittunt Libertini; ita in dogmatibus, quæ fide nituntur, plenam sentiendi ac credendi libertatem sibi adserunt. Enimvero si hi essent convicti tam de summis DEI perfectionibus, quam de suis nævis, non mirarentur, quod suo ingenio illarum majestatem adsequi non queant, vel quod in ista, quam quotidie experiuntur, mentis caligine acutum semper non videant. Profecto si legum civilium rationem semper eruere non possimus, & tamen sua mandatis ipsis constare debeat observantia multo magis sensus dependentia nostra eo nos adducet, ut adsen-

adsensum præbeamus illis, quæ summus rerum omnium Monarcha nobis in verbo suo revelavit, eademque exsequi conemur, quamvis in consiliorum suorum adyta nos non admittat. Fidem itaque habeamus dictis Divinis; probe gnari, quod DEUS nec falli possit, nec fallere. Veneremur insuper in his Divinam bonitatem, quæ in his incomprehensibilibus eo se manifestavit modo, quem nostra fert conditio. Sed modestam adeo ratiocinandi methodum minime ferunt Libertini, qui non acuti Philosophi, sed vulgi esse putant, ultra vulgus non sapere. Hac autem opinione turgidi transgrediuntur Leges Divinas tam Naturales quam Revelatas. Illæ enim jubent, ut nihil DEO tribuamus, quod aliquam involvat imperfectionem; hoc autem fit, dum finitum ingenium infinitæ sapientiæ thesauris capiendis sele suffecturum arbitratur. Hæ vero nobis injungunt, ut mysteria fidei, quæ ratio adsequi non potest, simpliciter credamus. Quum porro Libertini id agant, ut omnium Religionum sectas confundant, evidens est, quod per Libertinismum Religionum vera Religio, quæ normam agendorum continet & viam salutis monstrat, admodum periclitetur. Sed Religio, ut supra evictum dedimus, constituit fundamentum felicitatis civilis, & quidem vera verum: Ergo per placita Libertinorum turbatur felicitas publica, juxta veterum axioma: ubi male creditur, ibi male vivitur. Ulterius per experientiam constat, quod singulæ actiones humanæ legibus non sint definitæ, sed multa uniuscuiusque conscientiæ relinquuntur; quam Libertini diversitatem in religionis negotiis defendantes, ipsa conscientiæ dictamina sæpe pervertunt, unde innumera in rempublicam incommoda non possunt non redundare. Taceo alia, sed in civitate Libertinorum, si quæ uspiam existaret, cum juramentis, quæ tamen firmissimum præbent pactorum & promissionum vinculum, non secus ac pue-

ri cum astragalis solent, iudicatur, sibi quisque licitum putans, a data fide recedere, ubi lucrum ejus agitur, aut aliae ejusmodi leviores interveniunt causae. Denique sicut Princeps in civitate sua non ferret, si cives pro arbitrio leges suas interpretarentur, nec ipsis legibus sed huic interpretationi convenienter se se gererent; ita multo minus DEO convenit, ut homines pro arbitrio Religionem, non Sanctissimam, sed ipsorum placitis convenientissimam sibi fingant; quin potius sicut temerariis hisce ausis Divinam provocant iram, ita etiam per hunc novaturiendi pruritum Patriæ suæ plura accelerant malorum agmina. Agnoverunt hoc ipsi quoque Gentiles, quare HORATIUS, religioni certe non addictissimus:

Dii multa neglecti dederunt

Hesperie mala luctuosæ. Libr. III. Od. 6. v. 7.

§. IX.

Quoniam finis, propter quem in Societates coierunt homines, est pax & felicitas communis, ad quam utramque quarendam & Lege Divina ducuntur & ipso natura impetu feruntur; necesse fuit, ut certus ordo inter homines in societatibus viventes introduceretur, atque ita disparitas voluntatum ad normam quandam, quam Legem appellamus, conformaretur. Unde sequitur, quod nisi cives observent leges a Principe latas, reipublicæ compages dissolvatur, Anarchia ingravescat, & cum eadem omnia malorum agmina, quæ civitatis interitum accelerant. Enimvero nitimur in vetitum, & voluptas malefaciendi sape prævalet obligationi beneficiandi; quare quum in civitate multæ offerant se se occasionses, quibus spes impunitatis adfulget, & prava civium indoles ad legum rigorem elaudendum sollicitatur, igitur nisi præter externum poenæ metum internis quasi repagulis intra offici-

fiorum gyrum continerentur, extra præfixas æquitatis oleas facile exspatiarentur; siquidem immotum maneat, quod qui mori scit, cogi nesciat. Imminet neglectus igitur Legum a Libertinis, qui in negotiis etiam maximi momenti sua interponunt arbitria & judicia, ita ut nec Legibus Naturalibus, nedum promissis Evangelicis tantum statuant pretium, quantum utraque mereantur, sed quantum illis placeat. Quare quum Leges civiles in Naturalibus Divinis suum habeant fundamentum, nec observantia istarum Legum Libertinis admodum curæ cordique esse potest. Quomodo enim debitum Magistratui geret morem, qui adeo pervicaci est animo, ut præcepta Divina parum curet? Et qui sibi non ducit religioni voluntatem Divinam clare manifestatam pro arbitrio interpretandi, is nequaquam dubitabit, actiones Principis atque instituta importuna atque sinistra censura conjectari, atque ut ingenioli gloriolam captet, varios eisdem adstringere naevos. Præterea quum Libertini conscientiae suæ dictamina patum current, in eo industriam suam ponunt, quomodo cavillationibus vim Legis eludant, & summum jus ideo sequuntur, ut summam quandoque committant injuriam, ad suum lucrum tanquam ad cynosuram actiones suas componentes. Et quis nescit, eisdem fidem datam fallere volentibus, perfacile esse, vario sub prætextu & speciosis ambagibus cupiditates suas tueri ac velare, qui cum perfidis Mediolanensibus, si non totidem verbis, eodem tamen sensu respondebunt: Juravimus quidem, sed ad juramentum adtendere non promisimus. Esto, quod Libertini tranquille plerumque in civitate vivant; hoc tamen non placitis eorum erit tribendum, quippe qui alia omnia agerent, si Societatem quandam constitueret possent, & sic sua exequi opinionum portenta.

§. X.

Ad veram civitatis felicitatem non uberes auri argenteique fodinæ, non opima Cereris atque Floræ munera, non latissima imperii pomœria, nec numerosi exercitus tantum conferunt, quantum probi civium mores, qui in eo potissimum sese exserunt, quod a malis inferendis abstineant, bonis autem faciendis præcipue delecentur. Vitia enim exedunt reipublicæ viscera; virtus autem Amaltheum quasi cornu illius necessitati supplendæ adfert. Hoc loquitur præsentis temporis experientia, hoc etjam testantur præteriorum temporum annales. Florebat enim Romana respublica, quamdiu per templum Virtutis solus introitus patebat in templum Honoris; at postquam ad gloriae culmen adscendere licebat per scalam vitiis velut totidem gradibus constantem, *fuit Ilium ingens*, fuit Roma orbis Domina, sed fuit. Verbo: virtuti fere simul ac Reipublicæ ducta sunt funera. Enimvero ubi Libertinismus Religionum ingravescit, cultura virtutum non promovetur, sed admodum impeditur. Quum enim Libertini eclecticam stabilire conentur Religionem, nec ipsius Revelationis lumen ipsis sanctius sit, quam ut de eo ad perversæ rationis suæ lucernam judicandum putent; nec intellectus ipforum naturales eluctari tenebras, nec voluntas eorum emendari potest. Ex putido autem adeo fonte limpidam haurire velle aquam, æque ineptum est, atque ex mala arbore fructus colligere dulces. Quæ enim veritas ab ejus intellectu percipi potest, qui DEO, omnis veritatis fonti, fidem non habet? Quale in voluntate studium & obsequium ad rectæ rationis dictamina presso pede sequenda, quum in ipsis moralitatis principiis adeo turpiter titubent? Quo denique sensu boni voluntas eorum permoyebitur, qui DEUM omnis bonitatis fontem atque oceanum

ceanum suggillare non dubitant? Esto autem, quosdam naturae sue bonitate a publicis flagitorum inquinamentis abstinuisse, & aliqua sanctimoniac specie externe superbiisse; quum tamen personata sint hæc omnia, ad ingenium utique redibunt & fingere desinent, quandocunque clanculum peccare poterunt, vel etiam vicerit fortior adfectum impetus. Ne præter rationem hoc adseruissse videamur, cogitemus, quod Libertini tenue admodum discrimen inter virtutes ac vitia ponant, adserere non dubitantes, quod peccatum natura sua nullum sit, nisi opinione eorum, qui se peccare existimant; unde sequitur, quod actiones omnes habeant indifferentes, & quod ex iplorum mente perinde sit, quomodo in scena hujus mundi sese gerant mortales. Virtutibus igitur ac vitiis pro re nata promiscue patrocinantur, nec monentem nec revocantem audiunt conscientiam. Quando igitur ex institutis Libertinorum ita agitur cum virtute, pessime etiam agitur cum republica: turbato enim ipso Sanctitatis fonte, quæ hinc propullulant actiones turbidæ erunt, & in perniciem civitatis vergent. Præterea quum Libertinorum familiare sit dogma, ut immortalitatem animæ non admittant, simul quoque tollunt fortissimum virtutum quarumvis incentivum. Si enim proborum post devoratas in virtutis stadio molestias nulla exspectanda foret merces, nec improbi poenas scelerum meritissimas aliquando subirent; nec illi in inceptra pergerent semita, nec hi pravis fuis adfectibus frena laxare desisterent. Docent enim tam Religio, quam senior Philosophia Moralis, quod omnia moralia in hac vita respectum habeant ad ævum olim futurum, sine quo irrita virtus & effrenis mali licentia foret, nec multum interesset, quo vel modo vel tempore, casu ne an consilio quidquam fieret. Quod nec dissimulare admodum possunt Libertini; ita enim de his BÆLIUS:

Les Libertins sout des Fanfarons lorsqu' ils disent : Si nous étions persuadés de l' immortalité de l' ame, nous renoncerions à tous les plaisirs du monde, afin de nous procurer le Paradis : Les Chrétiens sont bien mechans puisqu' avec cette persuation ils vivent dans le desordre (a). Ut vero hæc plenius constent, Libertinorum Philosophiæ Morali larvam detrahamus, & tunc sequentia eorum præcepta in conspectum prodibunt: In omnibus actionibus simula & dissimula: Veritatem parce aut nunquam dicio: omnibus amicus, nemini fidus esto: Singulis blandiaris: Nemini, nisi tibi ipsi, sis fidus: Religionem colito, sed nullam certam habeto: Stet pro Religione & ratione tua voluntas: Omnia agito pro Religione, sed ex Religione nihil: Omnes ingenium ostendendi vias querito: Proprium, non publicum, spectato commodum: Conscientiam non attendito: De æternitate non sollicitus: Felicitatem tuam ex prælenti rerum abundantia metito. Et quæ alia sunt ejusdem furfuris infanda dogmata.

(a) *Voyez les Pensées diverses par Mr BAYLE T. II. p. 797.*

§. XI.

Sicut Libertini omnia ad vivum resecare conantur, ita ea solum tanquam vera admittunt, quæ sua adsequi poslunt ratione. Sed domestica quemvis condocet experientia, quod ratio humana sit admodum corrupta, adeo ut verum a falso & bonum a malo ægre discernerem valeat, quare Libertinorum molimina non possunt non ipsos abducere in gravissimum Scepticismum. Eñimvero qui ambiguis adeo feruntur principiis, ipso vertumno sunt mutabiliores in quem demum cunque peryenant Statum. Argumentari enim heic licet a majo-

ri ad minus: qui a seipsis dissentunt in dogmatibus momentosis, quomodo in aliis sibi constarent? Consultant igitur, deliberant, argumentaque tam syadentia quam disyadentia ad rationis suæ stateram tamdiu expendunt, donec occasionem agendi vel e manibus dimittant, vel eadem sero nimis utantur. Si incident adversa tempora & officiorum collisiones emergant, vix sciunt quo se vertent; & si tandem sese expediendi rationem cogitent, non optimam, nec honestissimam, non civitati sed sibi utilissimam eligunt. His igitur fulcris subnixa Patria, justam obtainere nequit firmitatem, sed urgente præsertim necessitate ea desiderat adminicula, quæ suo jure postulare posset. Et hic quidem animi morbus, ita scepticismum appellare licet, cum ipsa ætate hominis magis magisque increscit, & vix prius, quam circa vitæ exitum fautores suos relinquunt, sicut bene observat BÆLIUS (a): *Presque tous ceux qui vivent dans l'irreligion ne font que douter; ils ne parviennent pas à la certitude: se voyant donc dans le lit d'infirmité, ou l'irreligion ne leur n'est plus d'aucun usage, ils prennent le parti le plus sûr, celui qui promet une félicité éternelle en cas qu'il soit vrai, & qui ne fait courir alors aucun risque en cas qu'il soit faux. Ils se confessent, ils font tout le reste ad majorem cautelam.* Immo Libertinorum scepticismus ita ingravescere potest, ut in Atheismum practicum tandem degeneret; per quem fit, ut officiis quibuscumque nullum statuatur pretium, sed obligatio ad obediendum imperantibus, ad leges eorum custodiendas & ad pacta servanda sit vanum nomen, ad imponendum plebi excogitatum; unde quum speculativi hi Politici sint omnium pestimi practici, summa imis in republica quotidie miscebuntur.

(a) Vid. Lexicon Historico Crit. Voce Bion.

ota audirem oboe si ambi. §. XII. a ipsa cunio hi in
 tenuit. C. intermixtis ioh. ioh. at obitum p. alio nom
 insuper alma concordia, quæ civitatis est coagulum,
 non facile subsistet in republica, in qua Libertinismus
 Religionum ingravescit. Quom enim cives in arduo Re
 ligionis negotio diversas admodum foveant opiniones;
 facile patet, quod non in ipsa constitutione reipublicæ,
 nedum in aliis consentiant. Dum autem Libertini mo
 re mortalibus familiari sua placita aliis obtrudere fat
 gunt, in ceteros diversa sentientes, quos argumentis suis
 convincere nequeunt, indignationem concipiunt; & quum
 hi se talia non promeruisse existiment, par pari referunt
 & ipsos vicissim odio prosequuntur. Et ut strictius di
 cam, Libertini æqualibus diffidunt in plerisque negotiis,
 inferiores autem despectui habent, quasi tales, quos de
 teriori ex luto finxit Titan, indignanturque horum pusill
 animitatem, quod ultra vulgus sapere non audeant. Sic
 ut enim Benedictus Spinoza jactitavit, se de DEO & u
 niversa rerum natura ratiocinantem ad intima rerum ad
 yta pervenisse, dum reliqui in cortice tantum subsiste
 rent; ita quoque Libertini sibi admodum adplaudunt,
 ut qui in mundo, cœcorum pleno, soli acutum videant.
 Hinc igitur similitates primum existunt, ex quibus deinceps
 ingravescunt odia Theologica, Vatinianis etiam gra
 viora, quæ malorum agmina longa sequuntur serie.
 Quot enim civiles turbas, seditiones atque calamitates
 excitaverint vel duæ in eodem imperio diversæ atque
 pari in fastigio constitutæ Religiones, prolixe admodum
 loquuntur Historiæ: fuerunt enim illæ eo acerbiores,
 quum quisque se causam DEI agere existimaverit, ad
 eoq[ue] illi se deesse putaverit, nisi omni hoste crudelius
 in dissentientes grassatus fuisset. Quid igitur fieret, si
 quisque ex suo ingenio Religionem sibi formet, o
 mnemque alium cultum a sua persuasione alienum auda
 ete

ter condemnaverit? Comprobat nostram sententiam suo exemplo Anglia, in qua sicut disensionum semina quotidie germinant; ita fontem eorum quærentes in ingrauiente Religionum Libertinismo subsistere cogimur. Esto, quod disparitas Religionum in manifestam viu non statim erumpat, non tamen tranquillus est Britannorum Status, ubi pax quidem interdum, sed pacis fiducia nunquam. Quæ in contrarium adduci solent exempla, nihil aliud ostendunt, quam quod floreat nonnunquam hæc vel illa respublica in diversitate plurium Religionum, non autem per & propter illam. Et externa hæc concordia inde quidem est derivanda, quod per commerciorum exercitum ita conjungantur omnium studia & affectus, ut Religionis sensum leponant tantisper discrepantium doctrinarum sectatores, & negligant quæ severior alioquin ab ipsis postulaverit conscientia. Sic quæstui negotiisque suis in Hollandia quemque intentum de alterius Religione parum esse folliculum, testatur *SEVERINUS de Mozambano in Statu Imperii Romano German.*
Cap. VIII. §. V.

§. XIII.

Dulce admodum est Libertatis nomen atque præstantissimum ejus donum, sine quo præcipua felicitatis civilis pars periret. Sine justa enim libertate, si detur & locupletem esse & tranquillum, splendidior quidem, sed ne sic quidem aliud, quam miseria est. Enimvero adstricti omnino moris est genuina libertas, quæ si extra præfixas oleas exspatiari incipiat, beneficam suam sensim amittit indelem. Quocirca probe erit tenendum, quod veri nominis libertas non in eo consistat, ut id agamus, quod maxime placeat, sed quod optimum sit; quare quum DEUS tam Legem Naturalem, quam Re-

velationem eam in finem nobis concesserit, ut optimum
 clare perspiciamus, satis apparet, quod per observanti-
 am præceptorum Divinorum libertas nostra non immi-
 nuatur, sed promoveatur. Sed alia omnino est ratio li-
 bertatis, quam sibi arrogant Libertini, quippe quæ cum
 vera libertate nihil præter nomen habet commune, quan-
 vis ipsi opero rationum syrmate suam tueri nitantur
 licentiam. Est enim, uti docent scripta, Libertini mus
 sape memoratus vel ferox atque impudens, qui per vim
 quasi & grassatoriam licentiam sibi viam aperit, omnia
 que obstacula boni ordinis ac disciplinæ, quantum pos-
 est & occasio permittit, temere perrumpit, vel idem est
 magis prudens atque circumspectus, qui rationibus titu-
 lisque honestis jus civitatis imperare velle videtur, atta-
 men non qualecunque, sed plenum, & omnibus civium
 privilegiis ac juribus munitum. Hoc tamen ipso, qui
 aliunde est illegitimus, vim nocendi suam non amittit,
 sed eam quo teatius eo periculosius exercet. Ex quibus
 dilucide constat, quod Libertinorum molimina huc ten-
 dant, ut licentiam, qua tamen vix alius datur pernicio-
 fior morbus, inter cives introducant, ut ita suo vel in-
 genio vel genio tanto securius indulgeant. Licentia au-
 tem ista quid quæso aliquid efficit, quam ut Anarchicam
 stabilitat confusionem, mores civium corrumpat, & in-
 teritum reipublicæ citius serius acceleret? Quare etiam
 Patriæ suæ salutem negligentissime tractant Libertini, sic
 quisque oculis naufragium illius prospectant, dum modo
 ipsi tabulam habeant, qua evadere possint. Immo cre-
 dibile admodum est, Libertinicos illos Thraunes, qui
 nunc omnem detestantur in Religione servitutis speciem
 & nihil nisi conscientia libertatem continuo crepant, fa-
 miliaria sua facile relicturos placita, atque Romanorum
 etiam sacrorum servitutem totam subituros animo do-
 cili humilique, si suæ ita vel avaritiae vel voluptati vel
 ambi-

ambitioni velificari queant. Unde sequitur, quod veram libertatem, in quam nos vocavit DEUS, contra Ipsiū præceptum, velamen malicie suæ habeant Libertini, sapere gestientes supra id, quod nobis revelatum est, propter quem fastum multa tam cœlitus quam ab hominibus civitati imminent mala.

§. XIV.

Quamvis autem Libertinismus Religionum sit instar gangrenæ in civitatis corpore, quæ sana etiam vitalia sensim depascitur; non tamen propterea erit putandum, quod morbus hic sit quibusvis remediis superior. Cogitemus enim partim quibus ipse radicibus nitatur, partim quanta potestas Principi circa puritatem Religionis conservandam ex naturali æquitate & consensu moratorum quarumvis gentium competat, & animadvertemus, quod hydræ huic lernæ opprimendæ sufficient tam sana ratio, quam impiger Hercules ad clavum imperii sedens. Primo igitur quæsumus, ut Libertini debita experimenta virium rationis suæ faciant, quam supremum in rebus controversis faciunt judicem, dispiciantque an in rebus naturalibus, quæ singulis sensibus nostris velut patent, plene adsequi queant hinc materiae intimam indolem inde peculiarem compaginis formam; & quum sponte sua fateri cogantur, quod neutram rite intelligere queant, nisi hypotheses pro evicta veritate velint assumere; his discant experimentis, ingenii sui viribus, in eis argumentis, quæ DEUM & res spirituales concernunt, diffidere. Attamen quum causas nonnullarum rerum subodorantur, hinc cristas erigunt, adeo ut supra alios sapere sibi videantur Libertini; quod si paulisper

supponamus, nihil omnino æquius fore, quam ut permitterent, se ab hac eximia sapientia ad sensum humanitatis & proinde etiam ad sensum dependentiae suæ a DEO deduci; quo facto ad meliorem deducerentur fugem atque animadverterent, Religionem esse instituta Divinum, non mechanismum quendam humanum, ne dum vagæ phantasie abortum: quo, uti decet, admisso, non mirabuntur, in vera Religione occurrere Divina dogmata & facta, quæ sphæram intellectus humani longissime superant. Præterea quamvis Libertini ne convincantur, paucissima admittant principia, catholicum tamen illud universæ certitudinis fundamentum non poslunt non adsumere, scilicet quod idem non possit simul esse & non esse. Quare quum ex hoc sequatur axiome, quod singulæ Religionis species, quas sibi fingunt Libertini, veræ esse non possint, sic enim maxime disformes forent uniformes, id quod absurdum, adeoque una tantum erit vera, eaque quæ rationi nostræ maxime conveniat. Sed inter Libertinos æque ambigua hæc loquendi ratio manebit, atque inter Alexandri M. amicos anceps fuit disceptatio quisnam eorum esset optimus. Aut igitur Libertini nullam certam admittent Religionem aut in robur cultus Divini Revelationem citabunt. Hoc modo, si velint ad saniorem mentem redibunt Libertini, præsertim si noxiā fugiant curiositatem & Philosophia sobrie utantur. Nihil enim pericu-
 sius est homini Litterato, quam scientiæ humanæ terminos excedere. Præcipue autem cavendum est, ne fidei ac Religionis arcana unquam Philosophica curiositate explorare præsumamus. Non habent noctuæ oculos Solis patientes, quem vix ferunt aquilæ. Quod si vero Libertini nec ex sobrio rationis usu nec a propositis proficere velint remediis, sed sua placita in præjudicium veræ Religionis disseminare longe lateque conentur,
 Prin-

Princeps, qui felicitatem & tranquillitatem civitatis sartam tectamque servare debet, quod fieri non potest, si vera periclitetur Religio, si Legibus debita non constet observantia, si probi mores corrumpantur, virtutesque cum vitiis confundantur, quae mala sunt foetus Libertinismi Religionum, Princeps inquam, potest & debet hæc civitatis membra, quæ in reipublica carcinomata degenerarunt, extra Patriam ejicere, ne pars sincera civium trahatur.

S. D. G.



222 D. D. 222

15. Oct.

Dab. Apoll. d. 11. Dec.
MDCCCLXII.

AN. TUDERUS
Cedricus anno 1782. Etiam ceteris

AUCTORI PHILOSOPHIAE
CANDIDATO CLARISSIMO,

CONSOBRINO CARISSIMO.

Singulari plane impleor gaudio Consanguinei carissime, quando video Te ascensurum in Cathedram Academice hujus Laudatissimæ, gratia viriliter defendendi dissertationem Tuam Graduelam non minus erudite, quam concinne elaboratam.

Intermittere igitur non possum, quin peropportuna hac occasione publice testor affectum animi mei in Te sincerum, ob progressus Tuos magnos pulchrosque, Te dignos, quem non solum vinculum sanguinis, quod nos conjungit, gomuit, sed etiam arctissima quæ mibi Tecum intercedit amicitia, incendit. Gratulor Tibi pulchros in studiis progressus, quos tam antea, quam præstertim iu hac disputacione Tua præstisti solidissima! Gratulor Parentibus Tuis indulgentissimis, qui non frustra, summa cura Te semper sublevarunt tam in Gymnasio, quam in Academia! Gratulorque mibi quod in Te non solum habeam Consanguineum amantissimum, verum etiam Amicum sincerum.

Ex intimis recessibus cordis mei voveo, velit DEUS Ter Optimus Maximus conaminibus Tuis honestissimis successus optatos largiri, non solum ad felicitatem Tuam promovandam, verum etiam ad gaudium Parentum Tuorum indulgentissimorum nec non Averorum nostrorum honestissimorum, augendum.

Ita optat

Dab. Aboæ d. 11 Dec.
MDCCLXXIV.

Consobrinus Tuus carus
A. W. TUDERUS.